

## De quaestione matrimonii

In Israele multas feminas in urbe ambulantes vidi quarum capilli aliquo genere ricae quae mihi elegantissima videbatur esse operiebantur. Curiositate capta hospitem meum rogavi num illa rica ad cultum Iudaicum pertineret. Assensus est: Iudaeae orthodoxae illā ricā quae ‚mitpachat’ appellabatur solebant uti.

Die proximo tabernam Iudaicam vestimentorum pudicorum petivi ad aliquot ricas emendas. Tabernaria mihi monstravit quomodo illa rica nodo liganda esset, et mihi plausit cum contenta me ipsam in speculo spectarem : illa mitpachat me summopere decebat.

Vespere in popina quadam cocus sollicite me monuit cibum illius popinae non esse ‘kosher’. Obstupefacta hoc bene se habere respondi. Suspiciose me spectavit, dubitans an responsum suum fortasse non bene intellexissem: „Illi cibi non sunt kosher“. Ira capta et esuriens me non Iudaeam, nedum Iudaeam credentem, esse dixi, sperans fore ut denique nobis cibum arcessere liceret. Caput quatiens cocus me et Davidem iterum spectavit, et suspirans nos rogavit quid comedere cuperemus.

Die proximo in aeriportu magistratus quidam Davidem oravit ut ad aliquot rogata responderet antequam ad aeroplanum admitteremur: quis esset illa femina quacum iter in Britanniam susciperet? Eum de responso Davidis me esse uxorem suam dubitare patuit; tabulis nostris diligenter examinatis, alium magistratum maioris gradūs appellavit, qui fronte contractā nos iterum rogavit num revera matrimonio iuncti essemus. Cachinnum tollens tandem causam confusionis intellexi: ricā meā me religione Iudaea Iudaica obstrictam esse significabatur, sed Davidem non esse Iudaeum orthodoxum patebat. Fortasse magistratus Davidem me ex matrimonio orthodoxo abducere velle suspicati sunt. Rica celeriter deposita suspicionem magistratus sedavi, promittens me temporibus futuris cautiorem fore in moribus ab exteris gentibus asciscendis.